



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Modus juvandi morientes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

Meminerit autem Parochus frequentius ægrum visitare, ne soli lucro invigilate, & curam ovis periclitantis seponere videatur.

Moneat itaq; domesticos, ut si morbus ingravescat, quanto citius revocetur, ut morientem adjuvet, ejusq; animam Deo commendet. Si autem statim post sacram Unctionem moriatur, non discedat, nisi animam Deo commendaverit.

Modus Juvandi morientes.

In gravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit, & ad salutem diligentè juvare non desinet. Monebitq; instantे periculo se confessim vocari, ut in tempore praestato sit morienti; & si sumpto S. Viatico, & peractâ inunctione periculum immineat, animam statim, ut infra, commendabit. Si verò tempus suppetat, pro ut expedire judicavit, sequentia pietatis officia præstare poterit.

Primo si ægrotus indulgentiam legitimâ authoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatq; quid ad eam consequendam agere debeat, præterim ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel vel sæpius invocet.

Ut deinde eliciat actus fidei, spei & charitatis: scilicet ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit, & docet. Ut speret Christum Dominum pro sua immensâ clementiâ sibi fore propitium, & merito ejus sanctissimæ passionis, & per intercessionem B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.

Ut todo corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, quâ illum diligunt Beati, sanctiq; omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex toto corde de omni offensâ qualiter cunq; contra Deum & proximum commisâ.

Ut ex toto corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Ut ab iis per se, vel si non possit, per alium veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, & morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Ut, si Dominus sibi salutem præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cavere, & ejus mandata servare.

Ut præterea preces quasdam miscellaneas, vel suspiria eo, quo potest, modo, ad Deum dirigat v. g.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Inte Domine speravi, non confundar in æternum.

In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. Redemisti me Domine Deus Veritatis.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Esto mihi Domine in Deum protectorem.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Jesu Christe, per virtutem sanctissimæ passionis tuae recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Jesu Christe, suscipe Spiritum meum.

MARIA Mater Gratiae, Mater Misericordiae, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste. Omnes sancti Angeli, & omnes Sancti, Intercedite pro me, & mihi succurrite.

Hæc

Hæc & similia vulgari sermone, si latina non intelligat, ægroti maxime ex libris pro ministerio infirmorum editis proponantur.

Deinde pro moriente ex libello infirmorum cum astantibus pro infirmo enixe Deum oret, vel dicat sequentes preces,

Ordo Commendationis Animæ.

Videat ut penes ægrotum semper sit Aqua benedicta, Crux, & candela benedicta.

Cum Domum ingreditur Parochus, dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Dein aspergit ægrum & circumstantes aqua benedicta dicens. Asperges me &c. Praebeat deinde ægroro osculandam Crucifixi imaginem, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamq; imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suæ spem sumat.

Deinde accensa candela, genibus flexis cuin omnibus circumstantibus sequentes litanijs recitet,

K Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

K Sancta Maria

Ora pro eo (vel eâ)

Omnes Sancti Angeli & Archangeli

orate pro eo

Sancte Abel

ora pro eo

Omnis Chorus Justorum

orate pro eo

S. Abraham

ora pro eo

S. Joannes Baptista

ora pro eo

S. Joseph

ora pro eo

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ

orate

S. Petre

}

S. Paule

} ora pro eo

S. Andrea

}

S. Joannes

ora pro eo

Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ

}

Omnes sancti Discipuli Domini

} orate pro eo

Omnes sancti Innocentes

}

S. Stephane

ora pro eo

S. Laurenti

ora pro eo

Omnes sancti Martyres

orate

S. Sylvester

}

S. Gregori

} ora pro eo

S. Augustine

}

Omnes sancti Pontifices & Confessores

orate

S. Benedicte

ora pro eo

S. Francisce

ora pro eo

Omnes sancti Monachi & Eremitæ

orate

S. Maria Magdalena

}

S. Lucia

} ora pro eo

S. Barbara

}

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ

orate pro eo

Omnes Sancti & Sanctæ Dei

Intercedite pro eo

Propitius esto

Parce ei Domine

Propri-